1800

DUKE
UNIVERSITY
LIBRARY

Treasure Room

Z. Z.

J. S. Brown

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Duke University Libraries

http://www.archive.org/details/detumultibusamer00bent

11 3

13

DE TUMULTIBUS

AMERICANIS

DEQUE EORUM

CONCITATORIBUS

MEDITATIO SENILIS.

by Bentham.

OXONII:

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO.

Apud J. FLETCHER, and D. PRINCE;
B. WHITE, Londini,

M DCC LXXVI.

ΛΟΓΟΙ ΕΠΙΤΑΦΙΟΙ,

O R,

CLASSICAL AUTHORITIES

For performing due Honours to Military Men;

And for relieving the Diſtreſſes of Sailors and Soldiers, acting in the Service of their Country; collected, for the Uſe of Younger Students, from *Thucydides*, *Plato*, *Lyſias*, *Xenophon*, and *Cicero*. in the Original Greek, and Latin; with Reflections in *Engliſh*, and large *Engliſh* Notes.

Collected during the Rebellion in 1745, and ſince republiſhed, with Additions.

LECTORI.

OXONIENSIS Academia, die Oct. 26, *Literas ſolennes ad Dnum Regem mittendas decrevit, narrantes, Quid ſentirent de Tumultibus Americanis deque eorum Fautoribus; quo ſint ſpectandi Modo, quo Senſu, et quo Ore. Ingens profecto et Lubricus Cogitandi pariter ac Dicendi locus! Tres tantùm Diſſenſerunt; et unicâ Reclamatione contenti obmutuerunt.*

Eam Sententiam Oratori uni atque alteri viſum eſt in publico Conventu Weſtmonaſterienſi exagitare acriter, et, ne quid gravius dicam, procaciter.

Reſponſio itaque videbatur adhibenda, et quidem ab aliquo Oxonienſi. Quæri poteſt, Cur non citiùs? Rationes ſunt in promptu, ſed explicatu minùs neceſſariæ.

Obtrectatores noſtri aliquoties edixerunt, et exemplo ſuo ſæpe ſæpiùs comprobârunt ſe ex animo edixiſſe, " Omnes omnino Cives ſuo Jure agere, " quoties ſententias ſuas proferunt de Senatoriis " (ne dicam Regiis) quibuſvis Factis aut Dic- " tis." Hanc Libertatem itaque, cum Veniâ, Seni facile concedent; ei præſertim Civi, cui competit decantatum illud Jus Suffragii, et quidem in Decem Senatoribus Conſtituendis.

In

LECTORI.

In Senatu Oxonienſi perorantibus eam formulam præſcripſit Legiſlator Academicus, ut temerariæ loquentium voces Latinitatis fræno aliquatenus coercerentur. Hâc itaque linguâ Meditationem ſuam perſecutus eſt Senex noſter: neque enim Plebem alloquitur, ſed Doctos, et Ingenuos.

ORNATISSIMO VIRO------*Armig.*

E. B. S. T. P. R. O.

S.

MIRA ſcribis; Sententiam Oxonienſium de Tumultu Americano, prolatam die Octob. 26. 1775, diſplicuiſſe Viris quibuſdam Primariis.---Scribendum fuit, ni fallor, iis qui ſe Primos in rebus Politicis adminiſtrandis eſſe volunt, nec ſunt.

Ego contra cum riſu Miror, et Indignor. Indignor ſane hominum inverecundiam, qui dum ſibimet privilegium arrogant quidlibet contumeliarum in quoſlibet evomendi, aliis omnibus adimendam cenſent libertatem ſententias ſuas proferendi de rebus ad Summam Reipublicæ conſervandam pertinentibus.

Rideo pariter et laudo vafritiem hominum aſtutorum. Indoluerunt nimirùm ſpecioſam Patriotiſmi pellem Clericali manu et calamo a ſe detractam; ideoque cautionem interponunt egregiam, nequis in poſterum ſive Academicus ſive Clericus audeat ſe quæſtionibus

politicis diſcutiendis immiſcere. Commento non diſſimili Thraſones hodierni Clericum quemvis ſibi laceſſendum ultro deſumunt, et maledicunt populariter; in eo ſecuritatis ſuæ perfugium habentes, a nullo Clerico arma eſſe geſtanda, a nullo vere Chriſtiano malis eſſe reſiſtendum.

Eo autem in cardine verſantur res noſtræ civiles, ut præſens tempus (quidni enim Demoſthenicum illud adhibeam?) *μονον ȣχι φωνην αφιει*, et ſubmonet, ut unuſquiſque bonus palàm proferat, Quid de Republicâ ſentiat.

Si quidem Quæſtio publica agitaretur de Ambitu, de expilatione Ærarii, de Repetundis, de Peculatu, &c. qualia multa in liberis Civitatibus ſæpe dominari ſolent Crimina, ſilendum Nobis arbitrarer, neque ſelectorum Judicum ſcrutinia, noſtris vel Literis ſolennibus, vel Petitionibus, vel Remonſtrationibus, conturbanda cenſuiſſem. At vero de iis, quæ ſummam rerum, quæ Regis, Senatûs, Populique Britannici Majeſtatem propiùs attingunt, neminem ſine crimine aut ſilentem, aut otioſum eſſe judico.

Age vero Obtrectatorum calumnias ad trutinam revocemus. Contendunt itaque, omnem de Civilis Officii rationibus diſceptationem ab Academicorum uſu et inſtitutis eſſe alie-

nam:

nam: imo condimenti loco addunt, minime decere eos, qui Eleemoſynarum ſtipe aluntur, in Magnorum virorum diſſidiis et concertationibus judicia ſua proferre, et interponere.

Non equidem admiror hominem natalibus et inſtitutione ab Anglicanis moribus alienum hæc tam temere effutiiſſe; miror tamen Cauſidicum quemvis, ſi forte quis adſtiterit, non ſubmonuiſſe, *Tenuræ* quæ dicitur *Puræ Liberæque Eleemoſynæ* ſingularem præſtantiam excellentiamque a Legibus noſtris attribui.--- Nec verò hæc Legis Anglicanæ Declaratio eſt abſurda et a ratione diſſona; quippe cum Officia ad eam pertinentia naturam maxime attingant humanam, et ad eas artes excolendas vocent, in quibus vitæ civilis ornatus et cultus maxime continentur. Bellicæ quidem laudes habent in ſe belluinæ quiddam feritatis, quas in excelſo poſitas non ſine horrore quodam admiramur. Illa altera Soccagii, ad terræ cultum pertinens, multiplici utilitatis nomine commendata, nobilitate prorſus deſtituitur. Eſt ea tamen uniformi quodam tenore declarata Legis Anglicanæ Vox, Omnes omnino Tenuras a Regalis Munificentiæ fonte derivari, atque adeo debitæ gratitudinis obſequio onerari: Regem tanquam Civilis Felicitatis commune vinculum, et Patriæ Patrem

ſuſpicere

ſuſpicere docet et revereri. Eadem hæc formula Colonias tenet; quarum Politica exiſtentia ex Chartis Regalibus unice derivatur, quarumque adeo actiones ad fundamentales Leges Imperii Britannici ſunt attemperandæ.

Nos itaque Fundatorum noſtrorum Munificentiam eum in finem deſtinatam credimus ut, noſtræ curæ et tutelæ concrediti, Bonæ Literæ, Sacra Fides, Probique Mores cultu vigeant et efflorescant ſempiterno. Juventutem ita inſtituimus, ut Superiore in loco Dignitatis conſtitutos revereantur; ut ſervent Leges; ut æquo et pari cum civibus jure vivant; ut in Republicâ ea velint quæ tranquilla et honeſta ſunt, nec abjecti nec ſe efferentes; ut in nullius verba jurandum ſibi exiſtiment niſi Legum; nullius Factionis inſignia ſequantur, uni æqui Virtuti atque ejus Amicis. Auſpice Dei Evangelio, in patriis Legibus Jurium Civilium definitionem et Obſequii modum quærimus.

Sit illa itaque Laus exterarum Academiarum, ut Juventutem Britannicam Patria Inſtituta, Patrios Mores et Jura, negligere et immutare aſſuefaciant, ſi non et aliquando doceant: Noſtrates in eo ponunt operam ſuam, ex eo ſumunt ſuperbiam, quod nemo ingenuus et rite informatus ex ipſarum gremiis diſceſſe-

rit

rit, quin credat neminem Legibus eſſe Sapientiorem, neminem ab ipſarum auctoritate emancipationem quærere, quin in eo deſerat locum virtutis, et perdere et amittere videatur Jurium Civilium beneficia.

Hunc in finem ſuppetias ſuas ſubminiſtrant Philoſophia et Theologia, ut Juſtum ab Inhoneſto, Verum a Falſo, Libertatem a Licentiâ dignoſcere valeat ingenua Juventus. Neque parùm intereſſe cenſemus ad ſalutem Reipublicæ, Deum habere propitium, et quotidianis Bonorum precibus exoratum. In ſubſidium vocamus ancillatrices, quotquot in Græcis Romaniſque ſcriptoribus inveniri poſſint, Prudentiæ politicæ ſuppetias.

Ne vero in Veteribus ita toti immoremur, ut recentiora, et quæ ad Noſtra Tempora propiore conjunctionis neceſſitudine pertinent negligamus, providit Munificentia Georgii I. Ne quis porro Academicus, dum cæterarum hiſtorias exequitur, in ſuâ Republicâ ita ſit hoſpes ut neſciat Juris Anglicani deſcriptionem, quid Regi, quid Patriæ, quid Concivibus debeatur Officii, inſtituit Vinerius, perfecit Blackſtonius.

Vident itaque exteri et inviti laudant Inſtitutionem Anglicanam, qualem exoptet Filio ſuo impertiri Pater quivis pius et cordatus.

Obtrec-

Obtrectatoris noſtri Inſtitutio id ſpectat, ut formetur Monachus, non Civis; non qualem ſeipſum laudari velit

Μυθων τε Ῥητηρ' εμεναι πρηκτηρα τε εργων.

Et profecto credibile eſt eum non ex animi ſui ſententiâ, ſed ficte et doloſe, ut boni Defenſores ſolent, ut cauſæ ſuæ ſerviret et placeret Suis, hæc contumeliæ loco protuliſſe.

Noſtris Inſtitutis inſtructos et ornatos, imò ſtipe Seminarii hujus Eleemoſynarii aliquandiu adjutos, nos Oxonienſes gloriamur olim prodiiſſe Lockium, Talbottum; Cantabrigienſes, Newtonum, Walpolium: Et, abſit verbo invidia, etiamnum jactamus Mansfieldum, ſicut Cantabrigienſes lubenter collaudaabunt Camdenum, iis armis inſtructos, eâque exercitatione habiles, quæ ad Rempublicam ſtabiliendam et ornandam comparantur. ---- Quondam-*Sociorum* Oxon. catalogo annumerandi ſunt; *Com.* Harburgenſis; *Vice-Comites*, Sayius, Stormontius; *Barones*, Cravenius, Trevorius.

Commemorare poſſem longum ordinem eorum, qui Titulis et Nobilitate præcellentes opportunitate Anglicanæ Inſtitutionis perite uſi, licet non Eleemoſynæ beneficiis devincti, in rebus politicis dirigendis eminuerunt et etiamnum eminent. Cantabrigienſes recen-

ſebunt

ſebunt Graftonenſem, Rockinghamienſem, Sandvicenſem, Hardwicenſem, Weymouthenſem, Townſhendium, &c. &c. Nos Oxonienſes recenſemus,

Duces, Somerſetenſem, Beaufortenſem, Leedenſem, Queensburienſem, Portlandenſem [redacted] Northumbrienſem, Montagueium.

Comites, Huntingdonenſem, Suffolcienſem, Peterburgenſem, Winchelſeaenſem, Shafteſburienſem, Coventrienſem, Poullettum, Oxfordenſem, Straffordenſem, Dartmouthenſem, Aylesfordenſem, Granvillenſem, Macclesfieldenſem, Warwicenſem, Gowerium, Egremontenſem, Guilfordenſem, Ilceſtrienſem, Talbotum, Northingtonenſem, Radnorenſem, Bathurſtium, Corcagienſem, Darnleium, Kinnoulenſem, Shelburnenſem, Abercornenſem, &c.

Vice-Comites, Wentworthium, Dudleium.

Barones, Abergavenneium, Willoughbeium de Broke, Leighium, Maſhamium, Romneium, Godolphinum, Chedworthium, Sandyſium, Bruceium, Archerium, Lyttletonum, Groſvenorium, Scarſdalium, Northium, &c.

Addideram Templeium, niſi illum ex almæ matris gremio præpropere evocâſſent Ridentis Fortunæ illecebræ ad terras alio ſole calentes,

et

et alienis Inſtitutis ſubactas. Addideram inſuper, quem præpropere etiam abripuit ejuſdem Dominæ ſubiraſcentis malignitas, ut civilia inſtituta militaribus aliquandiu permutaret, Periclem illum Anglicanum; cujus intonantis Vocem et fulgura obſtupuit Senatus Britannicus; admiratione percuſſa fuit Europa; Gallia Hiſpaniaque devictæ ceſſerunt; America in Germania fuit ſubjugata---ita tamen, ut tutior inſurgeret, et major Angliæ ruinis. Addideram, inquam, *Periclem*, niſi forte vir iſte Magnus refugeret, memor noctis illius, quâ Oxonii commorans, (aliquandiu poſt exſtinctam illam Factionem,) inter ſomniandum videbat Jacobitiſmi ſpectra hinc inde volitantia, et incedere videbatur in plateis Jacobitiſmo conſtratis.

Perplures alios et Genere, et Opibus, et Inſtitutis præcellentes Viros contuetur Utraque Mater Academia, quos et Sapere docuit Alma et Fari; quoſque adeo ſelegit Britannia, dimiſitque ad Prolis ſuæ ſalutem et commoda procurandas in Senatu---Nomina eorum ſigillatim perſequi non eſt neceſſe.

Sinite, Viri Spectabiles, ut exoret Vos Senex, veſtrorum Studiorum, dum in Academiâ Oxon. verſabamini, Teſtis, et, in pleriſque, Laudator,

Seu

Seu calidus ſanguis, ſeu regni dira cupido,
Indomitâ cervice feros in devia traxit,
Indignos certe fraternum rumpere fœdus;
Sat furiis odiiſque datum——
Ah ne inteſtinis animos aſſueſcite bellis,
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires!

Ad Tumultus Americanos concitandos et fovendos credibile eſt Præſidum priorum, et Negotiatorum Americanorum Peccata, ſive illa fuerint Ignorantiæ, ſive Negligentiæ, ſive Avaritiæ, ſive forſan Perfidiæ, plurimùm valuiſſe. Certo inſuper conſtat permultos in ipſâ Angliâ, eoſque quibus ſuæ pariter Dignitatis ac Fortunarum, imo etiam Salutis conſervandæ rationes alia meliora et ad pacem ſpectantia debuiſſent ſuadere, malignis Partium ſtudiis et Invidiæ nimis multa litâſſe.

Flectere cum nequirent Superos, Acheronta movere non deſierunt, ut turbis ciendis ea ſibi commoda aſſequerentur, quæ lenioribus et bonis artibus attingere ſe poſſe deſperabant. Ex hoc fonte labem peſtiferam in patriam populumque noſtrum fluxiſſe non difficilem habet explicationem, et inde opes animoſque conjuratoribus Americanis acceſſiſſe.

Age enim, fata fortunaſque, imo et conſilia eorum, qui Libertatis publicæ tuendæ perſonam ſibi impoſuerunt, ex veteribus ſcriptoribus aliquantiſper eruamus. Inde certe bene moratis Civitatibus deducenda ſunt principia Juriſprudentiæ, quæ ad Summam Imperii moderandam et conſervandam pertineant. In Veteres hiſtorias, tanquam in ſpeculum, intuentes, intendimus animos ad illam optimam cognitionis practicæ magiſtram, Experientiam, poſthabitis vanis hominum Ingenioſorum figmentis et deliramentis: dumque videmus quanto diſcordiarum tumultu Reges, Patricii, Plebeiique ſibi invicem collidantur, deſumimus multa Præſenti ſæculo quæ ſient uſui.

Factionis cujuſlibet Anteſignani, nullo prorſus diſcrimine, id agere ſolent, ut ex aliorum incommodis ſua ſibi comparent commoda. Plerique tamen funeſto prorſus documento ſerò tandem condiſcunt ſe, in quantum a Juſtitiæ et Virtutis tramite deſciverint, eatenus a propriæ pariter ac communis felicitatis aſſequendæ ſcopo aberraviſſe. Hoc Livius, hoc Polybius, hoc Salluſtius a Romanæ Reipublicæ primordiis uſque ad ipſius Libertatis publicæ luctuoſum interitum ſub Julii Cæſaris Dictaturâ

turâ, prodocent, et exemplo multiplici comprobatum exhibent.

In Polybio itaque jam nunc cernimus Americano Senatui præſidentes *Spendium* et *Mathonem*, ex humilibus initiis ad ſumma Conſiliorum moderamina evocatos, viamque per mille fraudes ſibi munientes. Recognoſcimus falſos rumores vanoſque timores inter Plebeculam diſſeminatos, Tabellariorumque ſuppoſititiorum advocationem, ut fides mendaciis malevolis adhibeatur, veritati tenebræ objiciantur.

Videmus inſuper quàm expreſſâ imagine Redintegrator Livianæ Scriptionis luculentus compellet bonos quoſdam viros, qui rerum Britannicarum tutelam, ſi Dîs placet, ſuſcepiſſe ſe ſimulârunt.

"Hoc plerumque ingenio homines agunt,
"ut Patriæ ſtudium in ore, privatum in ani-
"mo magis habeant: igitur quamdiu qui-
"dem honores et divitias incolumi civitate,
"conquirere tuerique poſſunt, amorem illius
"ardentiſſime præferunt: Ubi periculum eſt,
"ne ad Alios ob magnam virtutem et eximia
"merita hæc concedant, longe malunt deeſſe
"qui publicæ rei proſint, quàm eſſe qui ob-
"ſint ſuæ. Donec autem alios æquiparare
"poſſe ſe putant, occultius atque remiſſius
"invi-

"invident: quum vero longiſſime relicti, "comparatione propinquâ ſe premi ſentiunt, "opeſque et magiſtratus, quos ipſi ſitiebant, "penes alios eſſe; quod virtute deſperârunt, "per calumniam et criminationes Meliorum "conſequi ſtudent. Ita fit, ut optimo cui-"que plures inimici ſint, pluresque inſidiæ "ſtruantur."

Longum eſſet recenſere ſeditiones et ſeceſ-ſiones ortas ex vafrorum hominum aſſiduitate, publicæ Salutis patrocinium præ ſe ferentium. En! Ap. Herdonium, Ap. Claudium, M. Manlium, C. Ter. Varronem, &c. Coronidis loco addatur Catilina! Hæc illis Inſtituta, Hæ Artes, circumire Plebem; benigne alloqui; paullatim permulcendo tractandoque manſue-facere; concilia habere; in circulos ſe inferre; ſermones tempori aptos ſerere, quaſi Ipſi ſoli Civium curam agant, miſerrimique cujuſque cauſam ſuſceperint, Ipſi ſoli nati aptique ad ſananda domeſtica mala, ad grave jugum ſer-vitutis a Civibus demendum: mire ſagaces in exquirendis et commonſtrandis effugiis per quæ Legis ſepti cancellis elabi poſſint, qui in tollendâ Legum reverentiâ, Magiſtratuum auctoritate conculcandâ occupantur: eorum errata, ſiqua forte humanitùs acciderint, acri-

ter

ter culpare; obtrectatorum rumores captare et ſpargere: Magiſtratus porrò velut juſto perſequi bello; utpote qui Libertatis opprimendæ, imò trucidandæ Plebis, conſilia inierint. Quid mirum, ſi Hi homines Præturas Tribuniciamque poteſtatem gerant in ore ſuo? Quid mirum, ſi Populus his artibus commotus et conſternatus odii virus mente conceptum omni protervitate in ſummos viros evomat? ſi rebus novandis ſtudeat, exiſtimetque ſummiſſe et reverenter ſe gerere id demùm eſſe Servum? Si porro Illi, quibus domi inopia, foris æs alienum, quibus mala res, ſpes aſperior, in vi et armis et rapinâ remedia egeſtatis ſuæ quærant? E Livio, Polybio, Salluſtio et Cicerone petantur ea, quæ ad Ortus, Incrementa, et Exitus Conjurationum Civilium pertinent.

Semina conſimilium turbarum in Angliâ paſſim conjici et radices agere dolemus. Deus omen avertat, ne Clarendoniani ſæculi fata et ſortes a nobis ſint renovandæ; in quo Omnes omnium Ordinum, ſuis quique commodis intenti, eo uſque Ambitioni, Avaritiæ, Iracundiæ, et Simultatibus propriis explendis velificabantur, ut quid Patriæ, quid Sibi, quid Poſteris deberent, obliviſcerentur!

Imo ipſi Americani, quæ eorum ſtulta eſt pervicacia, ſua omnia in diſcrimen ultimum

ad-

adduxiſſe videntur. Britannicum Imperium, leniſſimè adminiſtratum, detrectantes, Dominationi Paucorum ſe ſubjecerunt; et ad militarium Ductorum nutum omnia, ſua ipſorum Capita, Fortunas, et Libertatem, tantopere jactitatam, ab iis dirigendas et conculcandas ſubmiſerunt. Hoſtes ſuos, id eſt honeſte, et decore et grate ſentientes de Britannico Patrocinio, omnimodis fœdiſſimarum contumeliarum probris laceſſerunt, injuriis vexârunt. Quidni, ſi qua fides Hiſtoricis aliarum gentium monumentis, vaticinemur eos in ſemet ipſos gladios ſuos mox converſuros? imò et, Britannicæ tutelæ cuſtode remoto, Servitiorum, indigniſſime habitorum ab his egregiis libertatis humanæ ſtatoribus, pariter ac Indorum conterminorum rapinis et cædibus conſternendos? En qui inferias Braddockiano Exercitui, immiſerabiliter a Vobis deſerto, ſerius aut citius, retulerint!

En Vobis aurei iſtius Sæculi reditum, cum nullius Dominationi ſubjecti viverent mortales! cum jus vitæ et necis ad Multitudinem, in quâ primitus reſediſſe jactatis, transferatur! cum nihil aut in Bellorum Sumptus, aut in domeſticos Reipublicæ uſus ſuppeditetur,--- nulla demum Reverentia, aut Honor, aut Obſequium tribuatur Gubernatoribus in imperio

poſitis

poſitis, niſi ad arbitrium Domini iſtius Supremi, Poteſtatis humanæ fontis atque auctoris, imperiti *Populi*,---aut, qui ipſius libidinibus aſſentiuntur, callidorum et vafrorum Nebulonum.

Miſerabili porrò experientiâ edocti condiſcetis Imperium Imperio quantum præſtat, Legitimum Militari, Hiſpanico Gallicove, vel etiam Batavo Britannicum? In Waſhingtono aut Leighio, quidni auguremur exoriturum eſſe Vindicem Britannicæ injuriæ ---- Cromwellium alterum, pervicaciæ nationalis flagellum, ea omnia ludibrii contumeliæque verbera Philadelphienſi Senatulo intorturum, quibus Ille olim oppreſſit exſtinxitque Pſeudo-Senatum Weſtmonaſterienſem?

Merito certe veſtro plectemini, et ſerò tandem exoptabitis intactum illud Imperii Britannici Palladium, in quo conſervando unice contineri diſcetis Salutis propriæ tuendæ rationem.

Videmus interim horum Hominum Arrogantiam. Parùm habentes auctoritatem Britannici Imperii in Americâ ſubruiſſe, hùc ſe tranſtulerunt, et gladiatoriâ quâdam audaciâ et ſuperbiâ in Privilegia Soli Britannici, tanquam in prædam ſibi debitam involant, tumul-

tibus

tibus civilibus Noſtra omnia miſcere ſatagentes.

Queruntur de Vectigalibus, quorum beneficia ad ipſos ſolos pertinebant, aut in Bellorum ſumptus, aut in domeſticos Reipublicæ uſus, aut in ipſarum Provinciarum decus et tutamen, ſuppeditandis aut rependendis pecuniis; quæ tamen non ſolverunt.

Ære alieno obruti Creditores ſuos Britannicos omni injuriarum fraude ludificant et irrident.

Quæ Hiſpanis, quæ Gallis, quæ Batavis debentur, ultro diſſolvunt: quod Britonibus, id manibus ſuis conſecrant, ut pignus eorum in ſe Patientiæ. Aſtuti viderunt Negotiatorum noſtrorum calamitatem a Re Publicâ ſejunctam eſſe non poſſe: vafrè itaque non minus quàm perfidè, hoc modo, implicuerunt fidem et rationem Pecuniarum quæ in foro Britannico verſantur cum pecuniis Americanis, ut, his ruentibus, illæ eodem motu labefactatæ concidant.

Compita et plateas Londinenſes, quæ Londinenſium degener eſt patientia, Americaniſmo eatenus conſtraverunt, ut, ejectis rem Mercatoriam reverà facientibus, ſibimet ipſis et ſuarum partium fautoribus ad munia civilia, quaſi ad peculium, viam aperuerunt. In Senatum Britannicum etiam veniunt, Sermonum

num et Conſiliorum jam facti Participes; imò Duces eorum ſe non conſtitui indignantur: querelas interim diſpergunt nullam ſibi concedi Repræſentationem, quæ Jura Americanorum civium protegat et vindicet.

Intueamini tamen Briſtolienſes --- et, quod caput mali eſt, Londinenſes.--- Hoccine memorabile eſt, aut credibile, Ingenuis, et bene moratis Civibus tanta vecordia injecta ut ſiet, ut Privilegia ſua extraneis et peregrinis arripienda et aliò transferenda, tam patienter concedant?

Ut jugulent homines, ſurgunt de nocte Latrones.

Ut teipſum ſerves non expergiſceris?

Populi indoles, a callidis hominibus ſi peritè tractetur, ad faſcinationem quàm mirè comparatur! Inter cantandum de Vocabulo Libertatis, Rem ipſam ſæpe perdidit!

Quid interim Noſtrates, qui digladiantur de publicis muniis ſibimet vindicandis? Quidlibet in quoſvis, in aliquo dignitatis loco poſitos, contumeliarum effundunt: Plebem, omnimodâ falſitate ſermonum inflammant; tum demum Libertatem, imo et Opes et Tempeſtates fructiferas conſtituras eſſe, Navemque Imperii Britannici tutò occupaturam

eſſe portum, ſi, quo jure, quâ injuriâ, Clavus Nauclero extorqueatur, ſibi tradatur.

Regi, quo nulla unquam ætas vidit aut mitiorem, aut æqui bonique magis ſtudioſum, omnia amoris et obſequii indicia verbo tenùs exhibuerunt. Experti demum non precibus ſuis exoratum, non minis perterritum, ut in partes ſuas cedat, id agunt, ut, ſublato Rege Senatuque, omnibuſque Legum repagulis ſolutis, tum demùm conſtet Libertas, ſtabili poſita in baſi---in furoribus ſcilicet concitatæ Multitudinis.

Cives Americanos imperii Britannici habenas e manibus eorum, quibus ipſum Vivendi apparatum, Opes Arteſque et ipſam Libertatem debent, extorquere patienter ferunt; imò laudant, opitulantur, et gloriantur.

Leniter et amice agendum eſſe cum Concivibus, queruli et modeſtâ quâdam pietatis miſericordiâ, nec ſine opprobrio, vociferantur.

Magiſtratibus, eo ipſo quod hâc ipſâ Lenitate Americani vires ſumpſerint, et idonea Bello aptârint, et cum ludibrio rejiciant omnia, quæ de pace honeſtâ cum Matre redintegrandâ proponuntur hæc omnia in contumeliam objiciunt.

Alienigenas quidem ita paratos eſſe, et loqui, et quidlibet in quoſvis, ſi tutò et impune

pune liceat, facinus aggredi, non miror; ita enim his hominibus Fortibus omne Solum, ex quo commodi aliquod unde unde poſſit extricari, Patria eſt.

Non tamen ſine indignatione quâdam demiror hanc omnium Jurium Britannicorum communicationem cum Americanis temere continuari; qui id conſilii ſibi eſſe commonſtrârunt, Nobis ut noceant, ſibimet ex noſtris incommodis ſua ut commoda comparent, et ut noſtris ruinis inſultent.--Imò abeant; conſcendant Navem; habeant iſtam ſibi quam clamitationibus vendicârunt Libertatem, et Diſſidiorum rabiem;---tandem, ſicut liberi Equi, excuſſis a cervice habenis, Arabum Indorumque ritu, præcipites in avito Solo ſpatientur; Naturam ſequantur; ſuis ſe invicem plagis cædant, et invicem cædantur!

Fuit hæc ſapientia quondam, a Romanæ Juriſprudentiæ fontibus derivata, ut quotieſcunque publica Salus in diſcrimen eſſet adducta, a Supremo Magiſtratu cautum foret, "ne quid detrimenti caperet Reſpublica."---At boni noſtri Oratores id ſtrenue contendunt, ut Legis, ſeu potius Leguleiorum, formulis Legis vim eludere, et facinora ſua tueri, liceat iis, qui in eo apertè laborandum ſibi inſtituerunt, ut Legumlatoribus abrogetur auctoritas:

toritas: Iis, proh pudor! Civium jura ſibi arrogare conceditur, qui perfide a Republicâ defecerunt; quique ſe abruperunt a cætero populo, involant in hanc patriam remque publicam quaſi prædam jure ad ſe pertinentem.

Meminimus Rebellionem ortam, A. D. 1745; funeſta quidem fuit illa et bonis omnibus deteſtanda. Modeſtiæ tamen, ſeu potius Timiditatis, velo obvoluta aliquandiu inceſſit. Multi nihil de eâ credere; Fidem hominum Gratioſorum in dubium vocari, indignari; conjurationemque naſcentem non credendo corroborare. Mox tamen, increbreſcente civilis turbinis procellâ, tumentibus undis Factio, horribiliter ridens, caput extulit, et juſſit fautores cauſæ fœdiſſimæ *Inſurgentium*, non Perduellium, nomine inſigniri. Imò *Libertatis Templum* conſtitutum vidimus a quibuſdam Declamitatoribus; in dicteriis et contumeliis fundamenta ejus conjecerunt, et ex hoc fonte ſtabilitatis ejus præſidia decoriſque ornamenta conquirebant.

Eandem, quæ nunc paſſim venditatur, Cantilenam, ad nauſeam uſque decantatam, audivimus, Bonorum concivium, Chriſtianorum, ſanguini parcendum.

Similiter

Similiter hodiernæ Factionis Duces clamitant Americanos ſolos ſapere; eos eſſe Pios, Induſtrios, Modeſtos; eos ſolos vero Proteſtantiſmo ſtudere; ſolos veræ Libertatis jura et noſſe, quæ eorum eſt Sapientia; ſolos, quæ eorum eſt Fortitudo, eam ſibi vindicare; ſolos eâ dignos eſſe, qui fruantur.

Regalium Conſiliorum Adminiſtris, ſive ad Belli, ſive ad Pacis partes agendas ſe comparaverint, ſtatim occurrunt invidi, malevoli, obtrectantes; Proſit, obſit, nihil vident, niſi quod lubet; imò, Puerorum more, quod nuper petierunt ſpernunt, repetunt quod nuper omiſerunt.

Falklandiam non vindicatam dolere ſe ſimulârunt; imò Populum ad juſtæ vindictæ pœnas a Proditoribus ſumendas concitabant; Conceſſam non minus doluerunt; negligendam jam cenſent; nec operæ aut pecuniæ pretium eſſe agnoſcunt ut conſervetur.

Suprematum Angliæ in Americanos verbis aſſeruerunt iimet ipſi, qui re perdiderunt. Mutatis temporibus, alia atque alia præcepta Politica indies commutata dididerunt; res maxime inter ſe repugnantes dicendi facultate conjungentes.

Succinit Americanorum Vox. Siquis enumeret beneficia Americanis collata, quippe quibus

quibus ſalus conſtitit Britonum Sanguine, et Divitiis ſtabilita, Leges Britannicas neutiquam ad ſe valere gloriantur. Ingratoſne dixerimus? imò, in eo dicunt ſe Britonas imitari, qui, ſibimet ipſis ut prodeſſent, Colonias eduxerunt; Colonos eductos aluerunt; Artes docuerunt; et ad Æmulationis facultatem vires ſubminiſtrârunt. In eo itaque, quod magno ſpiritu, vires jam experti ſuas, aperto Marte, præſidia Regalia impugnaverint, non tam Gratitudinis jura violaſſe, quàm ſemet ipſos *Emancipâſſe* ſunt dicendi.--Sicariis vox digna! quibus id ſolertiæ eſt, ut atrocitatem criminum lenitate verborum mitigent! qui Jura negant ſibi nata, nihilque non armis ſibi arroganda cenſent!

---Et Vos, *Saltzburgenſes, Palatini, Moravii*--et cætera *Germanorum* farrago---quibus extorribus, egenis, oppreſſis, hoſpitium indulſit Anglia, et in ſedibus tutis Americanis, beatos ad tempus, locavit--- Siccine rependitis beneficia a Patronis veſtris ſæpius collata?

Hunccine in finem Anglia quotannis e Fiſco contulit Pecuniarum ſuppetias, imò et ſanguinem ſubditorum ſuorum ſæpe ſæpius profudit, ut ab Inimicis, Indis pariter ac Hiſpanis Galliſque, vobis conſtaret ſecuritas Provinciarum,--- ut Merces veſtræ in Angliâ fierent

rent vendibiles ?---(quæ multò minori pretio conſtarent ab Europæis emptæ) Hunccine in finem Pecuniæ annuatim e loculis Privatorum, paupertatis ſimulatæ prætextu, corrogatæ, ad Vos tranſmittebantur, ut bonæ Literæ, Artes, et, Probitatis parens, Religio, apud Vos florerent ?

Memorabili exemplo A. D. 1762. Legatio eſt emiſſa e duabus Civitatibus Americanis *pauperculis*, Philadelphienſi et Nov. Eboracenſi, quæ pecunias per Angliam colligeret ad ſublevandam earum inopiam, in re Literariâ promovendâ. Duo Legati, comiter excepti ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, utrâque Academiâ, Clero, Aliiſque, dicuntur, ex Munificentiâ Regis et Civium Anglicanorum, ultrà ſex mille Aureorum congeſſiſſe. *Philadelphienſis* Ille, Theologus, domum reverſus, nuper teſtatus eſt Gratitudinem ſuam erga Anglos, Concione editâ, quæ ſatis per ſe loquitur : Alter, *Nov. Eboracenſis*, Medicus, a Rege honore Equeſtri auctus, ſatiùs duxit non domum reverti ; ſed, quæ ejus benevolentia, in Angliâ artem ſuam exercet.

Ad Americanos Boreales, a Societate ad *Propagandam Religionem*, &c. inſtitutâ, emiſſæ ſunt A. D. 1774. in pecuniis Sterling. ultra 4400 l.

Inſti-

Inſtituatur calculus nummorum annuatim eò miſſorum, a fundatione hujus Societatis A. D. 1701. et conficiatur Summa.

Computus ineatur porrò, ex calculis *Tuckerianis*, quot Pecuniæ ſolutæ fuerunt annuatim, ex dono Parliamenti, ad Regiones Americanas excolendas, ornandas et tutandas; in expenſas et ſubſidium Militum Britannicorum Americanæ tutelæ, contra Gallos, Hiſpanos et Indos, inſervientium;---ad ſumptus Americanos tam in re Civili, quàm Militari levandos;--quæque porrò quotidie aſſignatæ fuerunt e Fiſco, nomine præmiorum, ad reddendas Americanorum merces vendibiles in Angliâ; ſtatim patebit, ex Anglicanâ munificentiâ non exiguos exiluiſſe fontes Americanarum Divitiarum.

Neque tacendum eſt de Detrimento, quod diu ceperit Reſpublica Anglicana; de Lucro, quod redundavit Americanis Borealibus, ex diuturnâ tolerantiâ Plagii Americani, tam reſpectu Hominum noſtrorum quàm Artium illatarum Americæ, quod diu invaluit, nemine prohibente, nullo fere exemplo bene conſtitutarum Civitatum: eo ſcilicet prætextu, quòd parùm referre videatur, quo Loco quivis Vivat aut Artem ſuam exerceat. "Omnes nimirùm

"nimirùm *Americani* ſunt *Angli*, Omnes Ingenui, Induſtrii, Modeſti, &c. ergo,

"*Tros Tyriuſve fuat, nullo diſcrimine habetor!*
"*Regem unum agnoſcentes unâ Lege tenentor!*"

Honeſta ſane Oratio! niſi res ipſa refragaretur. Britones regerunt;

En! Conſulta Patrum! Leges, En! Juraque Vobis!
Quid ſtatis?---Renuunt.---Atqui licet eſſe Beatis
Æquato ſub Jure. ---

En Fides et Gratitudo Americana! qualis olim Punica! Poſteris politicæ Prudentiæ Documentum ingens!

Jamdiu in his periculis Conjurationis Americanæ inſidiiſque verſati ſumus; ſed, neſcio quo pacto, Multi ea, quæ imminebant, non videbant; Multi ea, quæ videbant, diſſimulabant. Imò per annos complures in Americâ Boreali Libido hominum nocentiſſimorum longe lateque dominata eſt contra amicos nominis Britannici, ita ut illis vix loqui liceret, aut deplorandæ calamitatis habere poteſtatem: Nullus modus crudelitatis in ſuppliciis, aut ſuperbiæ in contumeliis; quibus vix aliquid ſimile unquam molita eſt Hiſpania aut Gallia.

At verò quæ ab Hiſpanis, aut Gallis, aut

Batavis vindicâſſe pulcherrimum fuiſſet, ab Americanis perpetrata negligere certè fuiſſet turpiſſimum.

Satis itaque ſuperque Temperantiæ, Manſuetudini, et Humanitati a Rege clementiſſimo eſt tributum: invitus hoc bellum ſuſcepit; ita neceſſarium, ut eſſet gerendum pro Gloriâ a Majoribus traditâ, pro Salute Populi ſui, et pro Securitate Poſterorum; neque tamen ita magnum, ut eventum ejus pertimeſceret: Non enim defuturam videbat maximam Populi Britannici Voluntatem ad Summam Imperii retinendam, et communes Fortunas conſervandas.

Fingamus conſilia Regis, ita fuiſſe inſtituta, ut parvi haberet magnam Imperii Gloriam a majoribus relictam; ſi fœdis Americanorum conditionibus conſentiret; ſi faſces ſuos ſubmitteret minaci Popularium virorum importunitati; et ſatiare decreviſſet eos laceræ Majeſtatis Britannicæ ſpoliis: Quantas Tragœdias excitatas vidiſſemus? Eadem certe, his bonis viris auctoribus, Ludibrii et Contumeliæ malignitas in Populum profluxiſſet, quâ *Jacobus*, ille *Pacificus*, olim impetitus eſt, (et quidem indignè ſatis) eò quòd Cognationis propriæ neceſſitudines Civium ſuorum ſanguini et pecuniis poſthabuerit, et jura

Palatini

Palatini Britannicis impenſis neutiquam vindicanda eſſe ſtatuiſſet.

Imprimis tamen illud agendum decrevit ſolum, ut Cives de Republicâ bene ſentientes, quotquot eſſent inter Americanos, diffidentes rebus ſuis confirmarentur, afflicti erigerentur, perditique recrearentur; et ut iis opportunitas porrigeretur ſemet a facinoroſorum turbâ ſejungendi. Boni interim noſtri Oratores, Patriam in ore habentes, vehementi contentione id agere, ut doloſis ſpes alerentur, Rebellantibus pertinacia confirmaretur, et ut eæ, quæ per lenitatem conceſſæ erant, induciæ, ad comparationem belli conferrentur. Inde nova cavillandi anſa: En Bellum, iniquè et crudeliter ſuſceptum; ſtultulè adminiſtratum! ad Hoſtes irritandos inſipienter oſtentatum, quod ad eos ſubjugandos animoſè debuiſſet geri!

Atque hîc utinam Bellona, præſertim Terreſtris illa, conſtitiſſet! Miſeræ enim profectò Belli operationes, et miſerandæ! Imò optandum forſan eſſet *Tuckeri* τȣ πανυ Vota Conſiliumque jamdudum valuiſſe, de Americanis projiciendis ad ſua fata, ſuas ſortes patiendas. Diu eſt quòd largi iſte vir animi, multâ experientiâ edoctus, ſordidula multorum Negotiatorum inſtituta ſæpe contemplatus, (qui

(qui, dummodo Lucrum ſibimet unde unde poſſint extricare, non cuiquam Amico parcent nedum Patriæ) timuit Americanos, et ferentes, vel potiùs ſimulantes ſe ferre, Dona. Eò nimirum pertinere videbat bellicos Anglorum apparatus, ad fines Americæ, quæ dicitur, Anglicanæ proferendos, inſtitutos, ut cum ſecuritate Provinciarum proterva earum pravitas contrà Benefactores ſuos intumeſceret: Horrebat inſuper falſam Gloriam Imperii mole laborantis ſuâ: Damnabat ſtultam immanitatem, quæ rei Mercatoriæ commoda vi Armorum et violentiâ in melius poſſe provehi ſperaverit. Statuebat nimirùm eam eſſe vim Commercii, eum finem a Deo conſtitutum, non ut Hic vel Ille aſtutus Veterator alienis malis, vel rapinis pingueſceret, ſed ut, juſtâ Inceptorum Mercede propoſitâ, Induſtriæ exercendæ Ingeniique acuendi honeſta accenderetur æmulatio; ita, ut, ex amicâ ſingulorum conſpiratione per regiones diſſitiſſimas, univerſa Omnibus conſtaret felicitatis materies. Digna homine Chriſtiano ſententia, nec indigna homine verè Politico, non in unâ ſede morari Belli furores et Commercii proſperi Beneficia! Fortunate Senex! quo Nemo intervalla Negotiorum honeſtiore diſpunxit Otio; cujus mitis Sapientia id inſtituit,

ſtituit, ut, quod tempus tibi contigerit a curis et Studiis Theologicis vacivum, illud, non Voluptatibus, non privatis Utilitatibus, atque adeo officioſis Salutationibus obeundis, ſed communibus Concivium devoveris commodis; Politicorum hominum Irriſiones, atque Americanorum contra frendentium Odia, juxta ac malarum Artium illecebras, oculo animoque irretorto deſpiciens, Mentis probæ conſcientiâ et Bonorum plauſu ſemper fruiturus.

Jam verò Belli jacta eſt alea. Americani enim in apertum odium ferociamque jam erumpere, et impune paſſim graſſari: Quid mirum itaque, ſi eluſa Regis optimi Patientia alia omnia tentanda eſſe decreverit, ut ſeveritatis Militaris terroribus eos coerceret, quos allicere nequibat lenior Rationis ſuadela? Neque enim non Miſericors ſtatim habebitur, qui, cunctis priùs tentatis, ad vulnera immedicabilia Gladium attulerit.

Neutiquam ſanè Academicorum eſt nimis anxiè diſquirere, aut dictitare quibus potiſſimùm rationibus, præſertim Bellicis, ſpretæ Auctoritatis Britannicæ injuria ſit vindicanda. Hæ partes ab Hannibale aliquo, non a delirante quovis Phormione, ſunt dijudicandæ. Sunt tamen nonnulla, quæ in hoc argumento verſantem feriunt vi planè ineluctabili, a

com-

communis Senſûs fonte derivata. Lenia conſilia ſi adhibeantur; ſi Jus Imperiumque, vel genibus minor, vel diviſum cum Americanis, acceperit Britannia, videbimur fortaſſe ad breve quoddam tempus curâ et metu eſſe relevati: Periculum autem reſidebit et incluſum erit penitus in venis atque viſceribus Reipublicæ.

In hoc ancipite rei communis periclitatione neutiquàm invidenda videtur fortuna eorum quibus Summa ejus adminiſtrandæ committitur: Laudanda eorum Virtus Fideſque, qui munia ſibi commiſſa, ſive Militaria ſive Civilia, non detrectârunt;---atqui ſcientium, quantam Invidiæ molem ultro in ſemet ipſos devocaverint; ſcientium, quanti Inſectationum impetus ex eventibus rerum infauſtis ſibi ſint ſuſtinendi. Obtrectatores enim egregiam ſibi laudem referunt, mutabilis Fortunæ converſionibus invigilantes et inſidiantes. Si forte ex Hyemis ſeveritate, Tempeſtatum Ventorumque adverſitate, Milites re infectá redierint; Si vel abſorpti Maris tempeſtuoſi gurgite, vel errore Regionum inſidiis trucidati, non victi, perierint; Si Commeatus intercludatur, vixque ſit, quod ſufficiat iis ad Famem et Frigus tolerandam, omnia hæc luctuoſa lætis

animis

animis accipiunt, imo et principibus viris Conſiliantibus vertunt vitio. O deteſtandam Hominum pervicaciam, quibus omne diſplicet Factum, quod Ipſorum Factio non fecerit! imo Crudelitatem, Parricidii crimine inquinatam, qui de Patriæ laborantis damnis lætantur et irrident!

" Improba res, O Cives, Improba res eſt
" Calumniator, ſemper et undecunque in-
" videndi et obtrectandi cauſas quæritans:--
" Neque enim cladem, ſi ea illi facit ani-
" mos, ob quam gemere Iſtum exſecran-
" dum conveniebat, ullâ re, quæ in noſtrûm
" poteſtate fuerit, accidiſſe Reipublicæ in-
" venietis. --- Ea ſcilicet a me poſtulas,
" neque erubeſcis poſtulare, ut unus Ego
" ſim hoſtibus ſuperior, idque Verbis. Cu-
" jus enim ego rei alterius habui poteſta-
" tem? neque enim Vitæ ſingulorum, neque
" Fortunæ pugnantium, neque militaris
" Imperii, cujus a me rationem poſtulas:
" adeo es demens. Sed quæ Conſiliario
" præſtanda ſunt, eorum a me quamvis ra-
" tionem exige. Non recuſo. Quæ igitur
" ſunt? Proſpicere initia rerum, et præſen-
" tire, et prædicere aliis. Hæc a me facta
" ſunt. Atque etiam, quæ ſingulis in ne-
" gociis incidunt, tarditates, tergiverſatio-

" nes,

" nes, ignorationes, contentiones, quæ ci-
" vilia urbibus inſunt omnibus et neceſſaria
" errata, ea in pauciſſima contrahere, con-
" traque, ad concordiam et amicitiam, et
" officii faciendi alacritatem cohortari:
" Etiam hæc a me omnia facta ſunt, neque
" ullus mortalium unquam reperiet me ullâ
" in re officio meo defuiſſe. --- Ego neque
" in exercitus Imperium habui, neque Dux
" fui: quare, quæ ibi facta ſunt, ad me
" nihil attinent.--- Calumniatorum autem
" iniquitas et invidentia, cum multis ex re-
" bus perſpici poteſt, tum verò ex iis quæ
" de Fortunâ diſſerere ſolent. Ego verò in
" univerſum, quiſquis Homo cum ſit, Ho-
" mini Fortunam objicit, eum prorſus a-
" mentem eſſe duco. Si enim is, qui op-
" time ſecum agi putat, et proſperrimâ ſe
" uti fortunâ, ignorat, taliſne manſura ſit
" uſque ad veſperum, quî de eâ dicere con-
" venit, aut eam aliis exprobrare? --- Ego
" equidem Fortunam Reipublicæ noſtræ bo-
" nam eſſe judico;---ſed Fortunam morta-
" lium omnium his temporibus eſſe gravem
" et acerbam.---Quis enim, in his omnibus
" quaquaverſùm regionibus, non multa ma-
" la hâc tempeſtate eſt expertus? Quòd
" autem honeſtiſſima quæque ſuſcepimus,--

" id

" id Ego bonæ Reipublicæ noſtræ Fortunæ
" tribuo: quòd autem in paucis inceptis
" impegimus, et non quæ voluimus, omnia
" conſecuti ſumus, cæterorum hominum For-
" tunæ ratam quandam partem Nobis con-
" venientem, Civitati tributam eſſe cenſeo."
&c. &c.

Hæc et plura conſimilia Demoſthenes, contrà ſui temporis Obtrectatores. ---- Quidni itaque *Northius* noſter hâc imagine itidem compellat hodiernos? Unum addiderim, effatum illud Lyſandri ad Cyrum (*Xenoph.* Οικονομ.) Δικαιως μοι δοκεις, ω Νορθιε, ἐυδαιμων ειναι· ἀγαθὸς γαρ ὢν ἀνηρ, ἐυδαιμονεις *. *Jure mihi beatus eſſe videris, nam ſimul et vir egregius et fortunatus es*;--- Fortunâ proſperâ ita es uſus, ut non Virtutis locum deſerueris, nec Voluptatibus delinitus, nec Minis perterritus, nec Superbiâ ferociens.

Dolenda certe, ſi non et Miſeranda, Regis Clementiſſimi conditio; cui neceſſe eſt, ut in his rerum aſperitatibus ingenti curarum æſtu fluctuet, Miſericordiam inter et Indignationem, Spemque inter et Anxieta-

* Hæc Cicero minùs accurate, nec ſatis expreſsè ad mentem loquentis ita reddit; (*de Seneſt.*) *Recte vero te, o Cyre, beatum ferunt; quoniam Virtuti tuæ Fortuna conjuncta eſt.* Memoriâ forſan uſus, non libro.

tem, dubius. Felix tamen Ille, cui remedium ſemper adeſt, Puritas Animi compoſiti ad Æquitatem et Manſuetudinem; in omnibus Imperii ſui mandatis, pie memor ſe Deo eſſe minorem, Illum Judicem reſpiciens, ſive remuneratorem Integritatis, ſive ultorem Malitiæ!

Quod ad Academicos attinet; utile, nec prorſus abſimile, propoſuit Nobis Monitum Obtrectator Noſter; quanquam vim ejus Ridiculâ quâdam et protervâ Joci temeritate ſtuduerit elevare. " Eja, Academici, quod " Veſtri eſt Negotii agite; ad Rem ſacram fa- " ciendam, ad *Preces*, vos componite."---Imò, Academici Suum Negotium agunt, dum nova quævis Commenta, ſive in Theologiâ, ſive in Philoſophiâ, ſive demùm in re Politicâ, ad examen revocant, et Vafrorum hominum fallacias detegunt: Beneficia interea Pietatis humilis et ſinceræ ultro agnoſcunt; utpote quæ late patere intelligunt, et permagni intereſſe ad Salutem tam Regis quàm Populi. Et profectò ſic ſe res habuit;

Pridie ejus diei, quo *Sententia* Oxonienſis prolata fuit (nimirùm die *Inaugurationi* Geo. III. commemorandæ deſtinato); Deum rite et ſolenniter *comprecati* fuimus, " ut " Regi noſtro Subditorum ſuorum Fides

" in-

" intemerata, Amor, et Obſequium ſervetur ;
" ut ſuo Unuſquiſque in loco, et ordine, of-
" ficio ſuo ſatisfaciat ; ut Perduellium ma-
" chinationes diſſolvantur, pervicacia franga-
" tur, miteſcat rabies ; ut Hominibus in
" quovis Dignitatis faſtigio conſtitutis debita
" tribuatur Reverentia ; ut Legibus exſe-
" quendis conſtet Auctoritas ; ut a Magiſtra-
" tibus adhibeatur Vigor et Diligentia ; ut
" in omnibus Bonis Conſenſio ; in Senatu
" Sapientia ; in Militibus Virtus vigeat ;
" ut demùm, quippe his fulturis ſuſtenta-
" tum, Imperium Britannicum floreat, om-
" nigenâ auctum felicitate, ſub auſpiciis
" Juſtitiæ et Pietatis." --- Jam verò, quid aliud actum eſt in illâ *Sententiâ* Oxonienſi, niſi ut ſolenni Scripto teſtatum faceremus, Nos ea omnia ſincerè, et ex animo fuiſſe comprecatos ? --- Illam itaque *Sententiam* lubens ſuffragio ſuo comprobandam cenſuit Convocatio frequentiſſima.

Ego profectò is ſum, qui, nullius Factionis particeps aut aſſecla, certaminibus rerum politicarum me nunquam immiſcui, niſi ubi de ſummâ rerum agebatur, durante Rebellione 1745. Et quidem in eo temporis diſcrimine, ad reliquias iſtius factionis exſtinguendas

guendas, opera et conſilia omnium bonorum auxiliaque videbantur evocanda; ne ad contagionem ingenuæ Juventutis peſtifera mali iſtius labes latiùs ſerperet. Neque me puduerit, aut piguerit Animi mei ſenſa de hoc præſenti negotio graviſſimo protuliſſe, aut diluiſſe malevolorum hominum Opprobria; --- qui jam, per annos pluſquam quadraginta quinque, Juventuti Docendæ et Moderandæ ita invigilaverim, ut ne uno quidem Termino aut a Loco abſuerim, aut Officio meo, pro Facultatis meæ modulo, arguar defuiſſe. Suaſoribus uſus ſum, ergà Academiam, grati animi Obſervantiâ; ergà Patriam, Amore; ergà Regem Optimum, Fide et Reverentiâ.

Sed manum de Tabulâ. ---
---Hîc Calamum Liteſque repono.

Dabam in Æde Chriſti Oxon. Kal. Jan. MDCCLXXVI.